

DISPUTATIO JURIDICA

De

EMPTIONE
ET VENDITIONE.

Quam

Adspirante divino Favonio
Indultu

*Magnifici Ordinis Electorum
In illustri Leucorea*

PRÆSIDE

Viro Amplissimo atq; Consultissimo

DN. MICHAELE LEDERER-
RO, J. U. D. Facultatis Juridicæ Assessore & p. t. De-
cano spectatissimo, tit & Electoralis Advocato Ordinario,
Præceptore atq; Promotore suo, optimo,
maximo.

*Placida disquisitioni
subjicit*

GEORGIUS BURCHARDI, Witteberg.

Ad diem *Februarij, In Auditorio Elector.*
Horis consuetis.

✻[†]✻

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS HAKEN, 1650.

V I R I S

*Rara Eruditione, Spectata Prudentia, Ingenij
integritate Eminentissimis*

Dn. CHRISTIONO GUEINZIO, J. U. C. Gy-
mnasij Halensis Rectori celeberrimo, Praeceptoris suo
obsequioso cultu æviternum devenerando.

Dn. JOANNI BERGERO, Prætori Reipublicæ
Wittebergenfium fideliffimo, Avunculo ob-
fervantiffimo.

Dn. GODOFREDO KNOCHIO, Oratori apud
Hallenfes graviffimo, Salinatori fpectatiffimo, Hofpiti
quondam benigniffimo, Promotori multis no-
minibus fufpiciendo.

Dnis. Mæcenatibus atq; Evergetis

in


Obfervantiffimi cultus

atquè

*Gratiffimi vultus
tesseram*

D. D. D.

GEORGIUS BURCHARDI
Autor & Respondens.



JOVA JUVA!

Quanquam materiae hujus dignitas & amplitudo, non patiatur paucis se includi paginis, sed prolixam sibi vendicet operam. Cui multi antehac Celeberrimi ingenio Viri invigilarunt, animus tamen mihi est, pro ingenij tenuitate, pauca de Emtione & Venditione, delibare. Ne vero rem immensi operis adorienti, illud Phœtea objiciatur: audeſne Juvenis de tam arduis rebus diſſerere? venia mihi opus eſt, quam paratam fore reor, cum non ingenij temeritas, ſed nobilitas potius materiae in amore me ſui allegerit. Interea conatus, ſi non ipſa opera, laudabitur, aut excuſabitur.

THESIS I.

Contractus Emtionis & Venditionis (a) cum ipſa gente humana originem videtur ſuſſiſſe (b). De quo aliquid diſturus, operæ pretium erit, in anteaſſum certam progrediendi rationem delineare. Ac conſiderabimus Emtionem Venditionem, vel totaliter; vel partialiter. Totaliter, tum in Definitione, eaquæ vel Nominali, quæ abſolvitur in Etymologia, & Homonymia; vel Reali: tum in Fine. Partialiter; vel reſpectu Divisionis: vel reſpectu Constitutionis, quæ ſub ſeſe complectitur Requiſita ſubſtantialia, Cauſam ſc. efficientem proximam, & Materiam circa quam: Materiam in qua: Effectum: & accidens: vel reſpectu ſolutionis.

(a) Sumitur hic vocabulum Emtionis & Venditionis latiffimè, ut ſub ſeſe permutationem ſimul comprehendat, prout in eadè ſignificatione Imperator illud accipit, ſ. 2. *Inſt. de Emtion. &*

A 2

Vendi-

Vendition. (b) Humanam gentem non minus indigentia, quam Natura autore sociam, verisimiliter quis dixerit. Cujus sublevandæ gratia permutatio, quæ priscis gentibus Emtio - Venditio erat, prout ex §. 2. *Inst. de Emt. & Vend.* addiscere licet, ad inventa. Qua ratione Imperator hunc contractum vetustissimum appellat, *d. §. 2. Inst. b. t.* Cum verò hic contractus multis laboraret difficultatibus, quippe cum id, quod alteri superest, non statim alteri desit, homines, postquam cœperunt sapere, sponsores numerum amplexi, quo hisce consuleretur difficultatibus, atq; hunc contractum Emtionis - Venditionis à Permutatione separarunt, nomine ei indito speciali, prout latius differit Jetus Paulus, in *l. 1. ff. de Contrab. Emt.*

THES. II.

Definitio Nominis consistit in Etymologia, & Homonymia. Emtionis etymon alij constituunt Græcum ἐμὼν (a). Aliis placet vocabulum Emtionis ab infinito emere deduci, (b) adeoq; Latina origine gaudere. Venditionis vulgaris hæc est derivatio, quando deducitur à venum & datio. Nos litem hanc nostram non faciemus, sed Grammaticis eam committimus.

(a) Quia id in Emtione potissimum agitur, ut res fiat mea, *l. pen. §. ult. ff. de contrab. Emt. Val. Guil. Forst. part. 1. Just. Tract. Diss. 18. tb. 1.* (b) Vid. Pacius, de Emtione & Vend. axiom. 6. (c) Pacius *d. axiom. 6.*

THES. III.

Homonymia omnis præcidenda, priusquam ad Definitionem Realem accessum facimus. Sumitur vocabulum Emtionis in Jure nostro Civili (1) generaliter (a) (2) Specialiter & propriissimè. (b) (3) Impropriissimè & abusive (c) Sic Venditionis vocabulum tum generaliter (d) sumitur, tum specialiter. (e)

(a) Pro quavis alienatione rerum earum quæ in commercium veniunt, *l. statu liberi, §. Quintus Mucius. 1. vers. quoniam lex. ff. de con-*

de contrab. Emt. (b) Pro ea contractus Emtionis & Venditionis parte, in qua pro Re recipienda unus contrahentiū incertum pretium dandum consentit. Qua in significetione *tot. tit. Inst. de Emt. & Vend. C. de contrab. Emt & multis legib. D. eod.* sumitur; atque nos hic acceptum volumus: (c) Quando vocabulum emere, sumitur pro locare, ut in *l. ea lege. 51. §. locavi. 1. ff. de locat. conduet. l. si hi qui 14. C. eod. uti notat Pantzschmann. lib. 1. quest. 17. n. 24.* (d) Pro omni rerum alienatione quæ fit per commercia, ut in *l. sicut 8. §. venditionis 11. ff. quib. mod. pign. vel hypothec. solv.* (e) Quando eam denotat Contractus Emtionis- Venditionis partem, qua pro pretio recipiendo unus contrahentium in certam mercedem tradendam consentit. Qua in significetione hic acceptum placet.

THES. IV.

Sic fuit Definitio Nominis, sequitur Definitio Rei. Contractus v. Emtionis- Venditionis in Jure nostro definitus non reperitur, dehinc variæ Dd. audiuntur definitiones, (a). Præ cæteris tamen arridet magni illius Jcti Wefenbecii, qui in *Paratit. ff. de contrab. Emt.* hanc ponit definitionem: Emtio & Venditio (b) est contractus (c) Juris gentium (d) nominatus, (e) bonæ fidei, (f) in quo per cōsensum res pretio commutantur, ea ratione, ut venditor obligetur ad tradendam rem ejusq; aut transferendum dominium, aut præstandam Evictionem, Emtor contra ad dandum Venditori pretium.

(a) Vid. Nic. Mozz. de Contract. Rubr. de Emtione & Venditione, Col. 1. num. 10. & seqq. ubi multas Dd. definitiones recēset & examinat. (b) Cōjungūtur sub hac definitione Emtio & Venditio, utpote quæ sunt correlativa, quorū natura & regula est, ut ad positionem unius, sequatur positio alterius; & è contra ad remotionem unius, sequatur remotio alterius, quemadmodū Logicorum id testantur libri. Hinc, vocabuli Emtionis & Venditionis promiscuus in Jure nostro ususest, & sumitur emere,

A 3

pro-

pro vendere, in l. un. C. si sero. exter. se emi mandav vicissim ven-
 dere pro emere, in l. si in ematione 34. in pr. ff. de contrab. emt. Vultej.
 in pr. Inst. de Emt. & Vend. n. 3. Differunt tamen Emtio-Vendi-
 tio, ratione personarum, cum alia sit persona Emtoris, qui
 pretium dat, alia Venditoris, qui rem tradit, l. 1. §. 1. ff. de con-
 trahend. emt. pr. l. 1. ff. de rer. permut. Nic. Mozz. de Emt. & Vendit.
 col. 1. num. 2. & 3. Treutl. vol. 1. Disp. 28. th. 1. lit. (a) Excellentiss. Dn. D.
 Coselius Praceptor jugi observantia devenerandus, in Enodatione
 l. 23. ff. de Reg. Jur. (c) per l. Laveo. 19. §. contractum ff. de Verb. Si-
 gnif. (d) uti apparet ex l. 1. §. 2. ff. de contrab. Emt. l. 5. ff. de Just. &
 Jur. l. jurisgentium. 7. §. quae pariunt. 1. ff. de pact. (e) Contractuum
 varias divisiones Juris Dd. nobis tradunt, Vid. Mozz. de Contracti-
 bus in genere, art. 4. n. 1. & seqq. inter quas praecipua est, quod alij sint
 Contractus Nominati alij Innominati. Nominati dicuntur, qui ha-
 bet proprium & speciale nomen a lege attributum, e.g. Emtio & Vendi-
 tio, Locatio & Conductio, d. l. jurisgentium. 7. §. 1. ff. de pact. Inno-
 minati sunt, qui speciale nomen non habent, sed utuntur com-
 muni contractus nomine. Et eorum Ictus Paulus quatuor facit
 genera: Do ut des; Do ut facias; Facio ut facias; Facio ut des, in
 l. naturalis. 5. & tot. ferè tit. ff. de praescript. verb. Schneid. ad §. fin. Inst.
 de Obligat. Rubr. de Contractibus n. 8. & seqq. Mozz. d. l. num. 11. & seqq.
 Wesenbec. in Parat. ff. de praescr. verb. n. 2. (f) §. actionum. 28. Inst. de
 action. Et exigitur bona fides non solum tempore conventio-
 nis, l. pro emtore 2. in pr. ff. pro Emt. sed etiam sequenti tempore,
 uti per l. si eum. 68. §. 1. ff. de contrab. emt. Bald. & alij Dd. pro-
 bant. Dolus igitur omnis a Contractu Emtionis ab esse debet,
 per l. & eleganter 7. in pr. ff. de dol. mal. quum bonae fidei contra-
 ctus sit, l. 3. §. fin. ff. pro soc. Hanc sequitur sententiam Petrus Gre-
 gor. in Synt. Jur. Univ. lib. 25. cap. 2. n. 2. Arum. Exer. 14. th. 16. Treut.
 vol. 1. Disp. 28. th. 2. lit. (f) Dissentire videtur Wesenbec. in Parat. ff.
 de dol. mal. n. 1.

THES. V.

Post Definitionem Realem, Finis considerationem in-
 currit. Est autem Finis Emtionis-Venditionis salus pub-
 lica (a).

(a) Fi-

(a) Finis Emtionis-Venditionis est, ut necessariae res inter homines communicentur facilius, & perpetua pecuniae aestimatione difficultatibus permutationum subveniatur, prout loquitur Ictus Paulus in l. 1. §. 2. ff. de Contrab. emt. Wesenb. in Parat. ibid. n. 11. Just. Meier, in Colleg. Argent. Diss. ad lib. 18. ff. tit. 1. th. 44.

THESES. VI.

Hactenus totalis Emtionis-Venditionis consideratio, sequitur partialis, in divisione. Divisiones varias Dd. nobis exhibent, quarum praecipuas solum recensebimus. Dividitur Emtio-Venditio (1) in eam quae est Juris Gentium (a) & eam quae Juris Civilis (2) Dividitur Emtio-Venditio in Publicam, (b) & privatam. (3) Alia est Emtionis-Venditiones species, quae fit sine (c) scriptura, alia quae cum scriptura fit. (4) Alia est venditio pura (d) alia conditionata.

(a) De ea quae est Juris Gentium hic nobis sermo est, & agitur tot. tit. ff. C. & Inst. de Emt. & Vend. Quae Juris Civilis est, olim vocabatur Mancipatio, & ejus vestigia non nisi ex fragm. Ulpian. tit. 19. §. 2. hodie apparent, quapropter ceu antiquatam eam seponimus. (b) De privata hic loquimur, & agit tot. tit. ff. de contrab. emt. C. & Inst. eod. De publica tot. tit. C. de fid. & jur. bast. a fiscal. (c) pr. Just. de Emt. & Vend. (d) per l. Labeo. 50. ff. de contrab. Emt.

THESES. VII.

Divisioni non incongrue subnectitur Constitutio, quae complectitur Requisita Emtionis-Venditionis substantialia, Causam sc. efficientem, & Materiam circa quam. Causa Emtionis-Venditionis, efficiens proxima (a) est consensus atque voluntas contrahentium de re certa, & pretio constituto (b).

(a) Consensus merito sibi primum vindicat locum inter requisita hujus Contractus substantialia, quum solus is perfectitudinem Emtioni-Venditioni inducat, etiamsi nec pretium solutum, nec res tradita sit, pr. Inst. de Emt. & §. quum autem 3. Just. ead.

eod. Atque is, in Emtione quæ absquè scriptura celebratur (de qua anteriori thesi 5. diximus) expressis ex verbis contrahentium colligitur, *d. pr. Just. de Emt. & Vendit.* Sed in Emtione-Venditione quæ in scripturam redigenda, consensus tum demum perfectus intervenisse creditur quando instrumentum Emtionis fuerit confectum, & subscriptione contrahentium comprobatum, *d. pr. Inst. b. t. l. sicut. 8. §. non videtur. 15. ff. quib. mod. pign. vel hypoth.* Qua ratione quis dubium movere posset, Contractum hunc, non solo consensu, sed literarum insuper obligatione perfectum fore. Coeterum respondetur, scripturam hic non ex natura hujus contractus, sed ex accidente & pacto hominum intervenire, ut consensum declaret. *Excellentiss. D. Coselius in Enodat. l. 23. ff. de R. J. Cōsensus verò quo modo declaretur si ve verbis, si ve literis, si ve inter præsentēs, si ve absentes per literas, vel nunciū, nihil subest discriminis, juxta l. 1. §. fin. ff. de contrah. emt. modo verbis fiat perspicuis & expressis per l. Labeo. 21. ff. de contr. emt. à libero animo nec aliquo metu intricato profecta l. 1. C. de rescind. vend.* Conditionales enim Emtiones-Venditiones tum demum perfectionem consequuntur, quando impleta est conditio, *l. 7. in pr. ff. b. tit.* Et cum consensui nihil æquè adversetur atquè Error, *l. 15. ff. de Jurisd.* nullum dubium est, quin error interveniens evertat Emtionis-Venditionis contractum per *l. in venditionibus 9, in pr. ff. de contmb. emt.* quod tamen cum grano (ut dicitur) salis accipiendum est, nec de quovis errore intelligendum. Error enim, vel committitur circa ipsū corpus, v. c. si fundus Tusculanus pro Corneliano vendatur, & tum venditio non subsistit, *d. l. 9. in pr. ff. de contrah. emt.*; vel committitur error in substantia, si ve materia, e. g. si æs pro auro veniat, & tum ex mente Ulpiani contractus is Emtionis-Venditionis corrui, *d. l. 9. §. 2. ff. de contrah. emt.* ubi alia adhuc limitatio adjicienda: si erratur in materia totaliter vitiosa, puta si mensa auro cooperta pro solidè aurea venit, & tum Emtio-Venditio omnino interrumpitur, *per l. 41. §. 1. ff. de contrah. emt.*; quod si verò erratur in materia aliquantis vitiosa puta si aurum corruptum pro puro vendatur, Emtio quidem subsistit, *per l. aliter. 10.*

33
rer. 10. ff. de contrab. emt. l. quid tamen 14. ff. eod. sed venditor ad
interesse teneretur, per. l. 21. §. 2. ff. de Act. Emt. Wesenbec. in Para-
tit. hic n. 6. Pac. cent. 5. concil. 4. Arum. Diss. ad Dig. 13. th. 1. Borch.
rr. de Verb. Oblig. c. 5. n. 74. Hackelm. Illustr. Quæst. Diss. 11. th. 2.
(b) pr. Inst. de Emt. & Vendit.

THESES. VIII.

Materia Emtionis-Venditionis circa quam duplici est
in respectu: alia, ex parte Emtoris; alia ex parte Vendito-
ris. Ex parte Emtoris venit Pretium, (a) quod est pecunia
numerata, quæ venditori pro re emta datur. Hoc alte-
rum est requisitum substantiale Emtionis-Venditionis (b)
ad cuius constitutionem pertinet (1) ut persolvatur in pe-
cunia numerata (c) quæ formam habet publicam (d) 2.
ut pretium sit certum (e) 3. ut sit justum & congruum, (f).

(a) Pretij vocabulum polysimon est, & sumitur in Jure nostro
multifarie (1) pro præmio, in l. Lex Cornelia. 5. §. ult. ff. de in-
jur. & famos. libell. (2) pro mercede, ut in l. si quis 10. §. ult. ff. de
acquir. vel amitt. poss. l. insulam 58. ff. locat. (3) pro valore alicujus
rei. Sic pretium vini, olei dicitur in l. ideo. 3. ff. de eo quod certo
loc. dar. oport. (4) pecunia, quæ æstimationis, emtionisve causa
constituitur, & ita in l. 1. ff. de contrab. emt. l. 1. ff. de rer. permut. su-
mitur, quo in significato & hac in thesi acceptum volumus. (b)
Alterum requisitum substantiale Emtionis-Venditionis locum
occupat, pretium, siquidem absq; eo venditionem nullam esse
Ictus Paulus ait in l. 2. §. 1. ff. de contrab. Emt. & Imperator in pr.
Inst. b. t. non quod naturam Emtionis-Venditionis ingredia-
tur, & ratione perfectionis hujus contractus substantiale requi-
situm foret, quod fieri nequit, quippe Emtio-Venditio solo
constat consensu, pr. Inst. b. t. & contractus ipse à re, quæ in eū-
dem deducitur, diversus est, arg. §. pen. Inst. de V. O.; sed ratio-
ne consummationis substantiale requisitum dicitur. Vult. ad
pr. Inst. de Emt. & Vendit. num. 8. Parile exemplum prostat in
matrimonio, quod consensu solo firmari dicitur, l. si donationē.
22. C. de nupt. nihilominus deductio sponsæ in domum mariti

B

ceu

cecu necessaria flagitatur in l. 5. ff. de ritu nupt. quod certè de Cō-
summatione intelligendum est. (c) In Emtione & Venditione
pretium debet solvi in pecunia numerata, non in fundo, fru-
mento, ære &c. prout Sabinus & Cassius putabant, l. 1. §. 1. ff. de
Contrab. Emt. §. 1. Inst. eod. nisi contractum Emtionis- Venditi-
onis cum contractu Permutationis confundere velimus. Ex eo
enim Emtio differt à Permutatione, quod in Emtione- Venditi-
one optimè dignosci possit, quid pretium sit, quidve merx,
quis Emtor, quis venditor dicendus; in Permutatione verò non
æquè, ubi omnia hæc commixta insunt, uti satis dilucidè id
probat Ictus Paulus in l. 1. ff. de rer. permut. & l. 1. ff. de contrab.
emt. Quod tamen ita intelligendum est, ut pretium in numerata
pecunia determinetur. Nam in numeratione bene potest alia
res, vel etiam nomen debitoris, pro pecunia solvi, per l.
pretij 9. C. de rescind. vend. l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. modò id fiat,
annuente creditore, secus, eo invito, d. l. 2. §. 1. ff. de reb. cred.
Mozz. de Emt. & Vend. tit. de Substantialibus Emtionis & Venditi-
onis, n. 13. Qua ratione Emtor, cui pretium à venditore remissū
est, rectè ex Emtio agere potest, cum conventio & determinatio
pretij Emtionem perficere dicatur, arg. l. si tibi. 5. ff. locat. con-
duct. Phil. Matth. ad l. 16. ff. de R. J. Just. Meier. in Coll. Argent.
Disp. ad lib. 18. Tit. 1. ff. tb. 25. (d) Quanta sit nummi in Repub.
necessitas, quantaquè utilitas, non est ut hic dicamus, cum ex
Politicis satis id constet. Acquiescamus modo in Aristotelis
effato: Nummus est terminus Emtionis- Venditionis, lib. 1.
Pol. c. 6. Sed ut in omnibus contractibus, ita in Emtionis- Ven-
ditionis quoq; contractu æqualitas & proportio arithmetica ob-
servari debet, Arist. 5. Ethic. 5. ut aliquis tantum det, quantum
accepit, & vicissim tantum accipiat, quantum dedit. Hoc ut
obtimeamus, comparatio rei atquè pretij instituenda erit per u-
triusquè æqualem æstimationem, ait Arist. d. l. Quo verò o-
mnis fraudis præscindatur occasio atq; suspicio, æstimatio nū-
mi in benè constituta Republ. subditis eripitur, & eam Magi-
stratus superior sibi vendicat, l. 1. & 2. C. de fals. mon. lib. 2. F. tit.
quæ sint regalia, cum fides publica fraudis suspicione careat. De
qua

qua ut constet, forma publica imprimi assolet, *l. 1. in pr. ff. de contrab. Emt.* quæ est testis veritatis & justitiæ, i.e. quod vera sit materia, justis ponderis & æstimij. Ex eo verò, quod Jus numû æstimâdi & cudêdi ad supremâ spectet Majestâtê, cõmoda deducitur derivatio nûmi *ἄπὸ τῆς νόμου*, à lege, quippe qui valorê à lege, viva, magistratu habet. *Godofr. ad pr. l. 1. ff. de contr. Emt. lit. (i) Magirus in Comm. ad cap. 5. lib. 5. Ethic. Aristot. lit. (e)* Certitudo pretij tantam in sese involvit necessitatem, ut, si pretium non sit certum & statutum venditio pro nihilo sit habenda, *§. 1. Inst. de Emt. & Vendit. l. emti fides. 9. C. de contrab. emt.* Dicitur a. pretium certum cujus taxata ac determinata est quantitas, quæ, qualis, quanta, *l. sicum. 1. C. de rer. permut. l. stipulationum 74. §. 1. ff. de Verb. Oblig. d. l. 9. C. de contrab. emt.* sive ea expresso nomine definita sit, *d. l. 74. §. 1. ff. de V. O.* sive ex demonstratione, quæ vicem nominis fungitur, colligi possit, *per l. certum est. 6. ff. de reb. cred. l. nominatim. 34. ff. de condit. & demonstrat.* Proinde rectè Emtio- Venditio hisce verbis contrahitur: *Quanti tu emisti hunc fundum, tanti eum redimam: vel, Pro eo pretio, quod in arca habeo, fundum emam, l. hac venditio. 7. §. 1. ff. de contr. emt.* Priori modo quantitas definitur expresso nomine, in verbo *quanti*; posteriori modo per demonstrationem quantitas indigitatur, ac dehinc meritò subsistit; *d. l. 9. C. de contrab. emt. d. l. nominatim 34. ff. de condit. & demonstrat.* Et si enim ignoretur quantitas pretij, non tamen exinde pretium redditur incertum, inquit Ulpianus *in d. l. 7. §. 1. ff. de contrab. Emt.* cum plura ignorentur, quæ nihilominus certa sunt, *arg. §. 6. Inst. de V. O. Hoenom. Disp. ad Inst. 16. tb. 7.* Pari ex ratione, si inter aliquos ita convenerit: *Quanti Titius vel alius aliquis tertius rem æstimaverit, tanti sit emta, Emtio- Venditio subsistit, & in effectû producenda, §. sed & Inst. de Emt. & Vend.* Ubi tamen notandum, quod si is nimio rem æstimet, licet parti læsæ ad arbitrium Judicis recurrere, *arg. l. si societatem. 6. ff. pro soc. Sichard. ad Rubr. C. de contrab. emt. n. 6.* Deniq; valet Emtio- Venditio, si quis vinum emerit eo pretio, quo in foro publico vendetur Calendis Novembris, *arg. l. excepto. 18. C. de locat. & conduct. Inst. Meier in Colleg.*

Colleg. Argentorat. supra c. l. tb. 20. Exantea dictis sequitur incertitudinem pretij Emtionem- Venditionem vitare, quod exemplis planius fiet. (1) Si dicunt contrahentes, Res emta esse debet eo pretio, pro quo erimus concordēs, Emtio- Venditio nō contrahitur, quia pretium est in incerto, *arg. §. 1. Inst. de locat. & conduct.* Igitur si inter eos non convenerit, & ex parte venditionis facta fuerit traditio, non datur Venditori actio ex vedito, sed actio subsidiaria in factura. *arg. l. sitibi polienda 22. ff. de prescript. verb.* (2) Si contrahentes dicunt, res emta sit iusto & congruo pretio, Emtio & Venditio non videtur esse celebrata, sed contractus potius innominatus, quia pretium & hic in incerto relinquatur *arg. d. §. 1. Inst. de locat. & conduct. Hoenon. Disp. ad Inst. 16. tb. 8. Ampliſ. Dn. D. Cefelius in Enodatione L. 23. ff. de R. J. Diſ. Mozz. de Emt. & Vendit. tit. de Substantialibus Emtionis & Venditionis. n. 26.* (3) Si contrahentes pretij constitutionem in arbitrium boni Viri, vel etiam peritorum conferunt, Emtio- Venditio eadem ex ratione nulla est. *Schneid. ad §. pretium autem Inst. b. t. n. 3. Diſ. Hoenon. d. Disp. 16. tb. 9.* Plura vid. apud *Iust. Meier. in Coll. Argent. Disp. ad lib. 18 tit. 1. ff. tb. 21. (f) arg. l. si a quo. 66. l. si fundum per fidei commissum. 92. in pr. ff. de legat. 1.* Pretium enim quantitatem rei superare non debet, quippè æquitati naturali, & iustitiæ commutativæ contrarium est, cum alterius damno locupletari, *l. 6. §. 2. ff. de Jur. dot.* Accedit, quod ad curam Christianorum Episcoporum pertinere dixerint Divi Impp. Valentinianus & Valens, prospicere, ne negotiatores modum mercandi excedant, h. e. ne carius, quam par sit, merces suas vendant, *in l. 1. C. de Episcop. audient.* quod pariter Ulpianus à magistratibus exigit, *l. 1. §. 11. ff. de offic. pref. urb.* Eo spectat quoq; quod Ictus Paulus asserit, eum, qui in contractu Emtionis- Venditionis est læsus, moderationem ab officio iudicis petere posse, *l. officio 17. ff. de contrab. emt. Mozz. de Emt. & Vendit. tit. de Substantialibus Emtionis & Venditionis, n. 19. & 29. Petrus Gregorius. in Syntag. Jur. Univ. lib. 25. cap. 14. n. 2.* Verum si quis donationis causa rem minoris vendiderit, Emtio valet, *l. si quis 38. ff. b. t. Dissent. Iust. Meier. in Colleg. Argent. loco antea cit.*

cit. ib. 22. Justum a. ut constituatur pretium, respiciendum est ad valorem monetæ, vel ejus loci in quo traditio fieri debet, per *l. ratio possessionis. 3. ff. de action. emt. & vend.* Vel ejus loci in quo Emtio. Venditio contracta est, *juxta l. semper in stipulationibus. 34. ff. de R. J. Vid. Petrū Gregor. in Syntag. Jur. Univ. lib. 25. cap. 14. n. 2. Sichard. ad l. 1. C. de contrab. emt. n. 3.* Intelligitur autem semper in eo loco contracta Emtio, in quo solutio fieri debet, per *l. contraxisse 21. ff. de Oblig. & Action.* adeo quidem, ut quamvis alibi revera contractum sit, tamen ille locus non attendatur. *Wesenbec. Conf. 14. n. 54. & Conf. 327. n. 51.*

THESES. IX.

Materia Emtionis-Vēditionis circa quā ex parte Vēditoris dicitur merx, (a) quo nomine insignitur ipsa Res, quā accipit Emtor pro pretio, Hæc, tertiū est requisitū (b) substantiale Emtionis & Venditionis, & sub se comprehendit res omnes, tam corporales, quam (c) incorporales, cum suis accessionibus (d) tam præsentibus, quam absentibus; (e) item futuras (f) & alienas (g) modo ad commercium sint habiles (h) & in rerum natura existant (i). De quibus assertivè.

(a) Vocabulum merx Alciatus deducit à verbo mercari, (teste *Gædd. ad l. 66 ff. de V. S. n. 3.*) quod propriissimè loquendo, est negotiari & quæstus faciendi gratia animo revendendi emere: Hinc propria in significatione & stricta, merx sumitur pro tantum mobili, quæ mercandi, negotiandi, nundinandique causa comparata est, per *l. 66. ff. de V. S. Vid. Gad. ibi, n. 4.* à qua tamen significatione eximuntur servi & mancipia, per *l. 203. ff. de V. S.* Qua ratione bona mobilia, veluti vinum, oleum, frumentum, carbasum &c. merx dici nequeunt, nisi animo mercandi, quæstusque faciendi causa habeantur, *l. generaliter. 32. S. uxori. 2. ff. de usu & usufr. legat.* Impropiè & in lata significatione, merx dicitur quæcunq; res vendibilis, ut in *l. 1. ff. de contrab.*

B §

crab.



trab. emt. l. 1. ff. de rer. permut. Qua in significatione vocabu-
lum mercis hic quoque intellectum volumus. Ratio autem cur
Ictus Paulus in d. LL. rem venditam merx dici voluit, ea est,
quod differentiam inter Emtionem - Venditionem & Permuta-
tionem ostendere aptiori exemplo haud potuit, quam à merca-
toribus adscita mercis pretijque differentia: ut quemadmodum
apud eos aliud est merx, aliud pretium, ita in qualibet Emtione-
Venditione oportere esse aliud instar mercis, aliud pretium, tã-
quam rei æstimationem. Quæ duo in permutatione dignosci
nequeunt. *Gædd. ad d. l. 66. ff. de V. S. num. 5.* (b) Quia sine ea
Emtio - Venditio esse nequit, *l. nec Emtio. 8. in pr. ff. de contrab.
Emt.* Et dicitur merx substantiale requisitum Emtionis - Ven-
ditionis, non ratione perfectionis, sed ratione consummatio-
nis, quemadmodum supra thesi anteriori 8. sub scholio (b) de pre-
tio diximus. Non incommodè a. hic sub tertio & ultimo requi-
sito monebimus. Quod si quis Emtionem - Venditionem pro-
bare contendit perfectam, illum omnia tria, consensum scil.
pretium atque rem probare debere. *Trent. vol. 1. Disp. 28. lit. (a)*
*Gilhaus. in Arbor. Judic. part. 1. cap. 6. §. 220. n. 1. Wesenbec. Con-
sil. 12. n. 21.* (c) Res corporales, sive immobiles ex sint, sive mo-
biles, quin vendi possint, nullus dubitabit, & exemplis in l. 7. 8.
9. 20. & 27. ff. de contrab. Emt. satis patet. De Jure Saxonico i-
dem quidem licet, rerum tamen immobilium Emtionem - Ven-
ditionem actis insinuari jubemur *Landr. lib. 1. art. 52. & 38.*
Weichb. art. 20. vers. Er soll kommen. Quod quidem hodierna
observantia comprobatur; inter ea tamen à Juris Civilis dispositi-
one non omnino recedit, quippe, si judicialis insinuatio non
intervenerit, nihilominus Emtio - Venditio rata habetur, teste
Schulz. in Syn. Inst. b. t. lit. (a) Res incorporales quoque vendi
possunt, quales sunt: hæreditas, *per l. 1. & tot. tit. ff. de hered. vel
action. vend.* Servitutes tum prædiales, veluti tigni immitten-
di, *l. cum manu 80. §. 1. ff. de contrab. emt.* tum personales, velu-
ti ususfructus, qui vendi potest non solum ab eo, qui dominiũ
habet plenum, verum etiam ab eo, qui ususfructum solummo-
do habet, *l. cui ususfructus 67. l. non utitur 38. l. quia 39. ff. de usufr.*
Nomina

Nomina pariter in Emtionem- Venditionem deduci possunt, *l. si nomen. 4. & l. nomina 17. ff. de hered. vel action. vend.* insciis etiam & invitis debitoribus, *l. nominis. 3. C. eod.*; & Actiones sive personales sint, sive reales, *l. certi 9. C. eod.* modo id fiat ante litis contestationem; res enim litigiosa vendi nequit, *tot. tit. C. de litig. l. fin. C. de hered. vel action. vend. Myns. 1. obs. 55.* & modo actiones illæ sint activæ, (ut loquuntur Dd.) passivæ enim actiones in hæredem non transeunt, *arg. l. 2. C. de heredit. & action. vend. Mozz. de Emt. & Vendit. tit. de Rebus qua emi & vendi possunt. n. 6. & seq.* (d) Cum principale omne trahat ad se accessorium *arg. l. fundi. 25. §. ult. ff. de pecul. legat. l. hæres. 100. §. ult. ff. de legat. 3.* ea quoq; quæ rei venditæ cohærent unâ vendita esse intelliguntur, *l. ade. 73. ff. de contrab. emt.* quod tamê de ijs solum, quæ tempore contractus cohærent, dicitur, *l. Rutilia. 69. ff. eod.* Dehinc fundo vendito, fructus & instrumenta adhærentia quasi pars fundi vendita intelliguntur, per *l. qui fundum. 40. §. fin. l. si aquæ ductus. 47. & seqq. ff. eod. tit. Wesenbec. in Parat. ibid. n. 8.* (e) Emtio & Venditio parit obligationem ex solo consensu, ideoq; præsentiam non requirit, *pr. Inst. de Emt. & Vend.* (f) Quales sunt futuri ex agro fructus, partus, captura piscium, avium, per *l. nec emtio. 8. §. 1. ff. de contr. emt.* ubi notanda distinctio inter Emtionem rei futuræ, & inter emtionem spei, *ex l. nec emtio. 8. ff. h. t. & pr. l. necessario. 8. ff. de peric. & com. rei vend.* Hæc namq; pura est, & contracta esse dicitur Emtio etiam si nulla res sequatur, *d. l. 8. §. 1. ff. de contrab. emt.* Illa pro conditionali habetur usquê dum res existit, *pr. l. 8. ff. de peric. & commod. rei vendit.* Igitur si quis specialiter fructuum futurorum Emtionem- Venditionem contraxerit & nulli prorsus nati fuerint, Emtio- Venditio non valet, *arg. d. l. 8. in pr. ff. de contr. emt.* & quia rei futuræ, non spei facta est emtio. Quod si v. aliqui fructus nati fuerint, etiam si tennes, Emtio- Venditio est perfecta, nec remissionem pretij Emtor impetrare potest. *Connan. 7. Comm. 6. Harp. ad §. fin. Inst. h. t. n. 21. (g) l. rem alienam 28. ff. de contrab. emt. l. ex emto. 11. §. imprimis. 2. ff. de action. emt. nec eò quicquam Juris verò Domino aufertur, l. nemo 6. C. de reb. alien. non alienand. potest enim*



enim res Emptori rursus eripi, *d. l. 8. ff. h. t.* Ratio a. cur res aliena vendi possit, videtur hæc subesse, quia venditor non cogitur facere rem Emptoris, *l. si ita. 25. §. 1. ff. de contrab. emt.* sed ad traditionem solum tenetur *l. servus. 30. §. 1. ff. de action. emt. & vend. l. sed ad 30. ff. de contrab. emt. Treut. vol. 1. Diss. 28. tb. 4. lit. (e) Sutbolt. Diss. 25. apb. 14.* Hinc Rei traditionem Dd. distinguunt à rei datione. Nam dare rem, ajunt, est dominium in accipientem conferre; tradere verò rem, est rem accipienti exhibere etiam absq; dominio. *Sichard. ad Rubr. C. de contr. Emt. n. 7.* Coeternum non parum differt, sciens Emptor rei alienæ ab ignorante. Hic enim etsi rem alienam suam facere non possit, venditorem tamen ad id, quantum interest, rem evictam non esse, sibi facit obligatû, *l. cum successores. 23. C. de Evict.* Ille, nisi subsecuta sit evictionis stipulatio, ne quidem pretium repetere potest, *l. si fundum. 27. C. eod.* In dubio autem semper præsumitur Emptorem ignorasse rem emtam non esse venditoris. *Myns. cent. 5. Obs. 25. Gail, 2. Obs. 69. n. 2. (h) l. si in Emptione. 34. §. omnium 1. ff. de contrab. emt. (i) l. domum. 57. in pr. l. 8. in pr. ff. de contrab. emt.* nisi res probabiliter spectetur, ut fructus futuri, *l. 8. ff. h. t. Wesenb. in Parat. ibid. n. 7. Sutbolt. dissert. 15. apb. 13. Mozz. de Emt. & Vend. tit. de Substantialibus Emptionis & Venditionis, n. 2. & seqq.*

THES. X.

Haftenus assertivè, de rebus quæ in Emptionem-Venditionem deduci possunt; sequitur negativè, de rebus quæ in commercium trahi nequeunt. Idquè vel Naturâ; vel Jure Gentium; vel Jure Civili (a). Natura sua in commercium non abit, liber homo (b).

(a) Divisio hæc fundata est *in l. 34. §. 1. ff. de contrab. emt. §. ult. Inst. b. t.* (b) *d. l. 34. §. 2. l. 70. ff. eod.* nisi quis per ignorantiam à venditore deceptus sit, & tunc Emptor contra venditorem actione ex emto agere potest ad consequendum interesse, *l. 4. ff. de contrab. emt.*

THES. XI.

Jure Gentium ab Emptione & Venditione eximuntur Res sacræ, religiosæ & sanctæ (a).

(a) *l.*

(a) *l. & liberi. 4. pr. l. sed Celsus. 6. l. hanc legem. 22. ff. de contrab. emt.* unde nullius in bonis esse dicuntur, §. *nullius. 7. Inst. de rer. divis.* & alienatio earum prohibita, *l. jubemus. 14. in pr. & auth. Hoc Jus. C. de S. S. Eccles.* nisi ingens urgeat necessitas, *l. sancimus 21. C. eod.* Quod si ejusmodi res ignoranti vendita, tunc Em-
 tio-Venditio in sese & sua natura pro firma habetur, in præjudicium venditoris, adeo ut venditor non aliter obligetur ex emto, ac si rem prophanam & suam vendidisset, & Emtor agere potest actione Em-
 ti adversus venditorem scientem, §. *ult. Inst. h. t. Sutholt. Dissert. 15. aph. 16.* Quandoq; v. & hæ res accessorie & mediate vendi possunt, e. g. Jus patronatus quod Ecclesiasticum & sacrum est, cum universitate transire potest *cap. 13. X. de jur. patron. Harp. ad §. fin. Inst. h. t. n. 3.*

THESES. XII.

Jure Civili & Statutario prohibita sunt in Em-
 tionem Venditionem tradi: Res publicæ (a) res dotales (b) litigio-
 sæ (c) furtivæ (d) bona minorum, furiosorum & prodigo-
 rum (e) bona avita (f) prædia feudalia (g) & Emphyteu-
 tica (h).

(a) *L. sed Celsus 6. ff. de contrab. emt.* qualis est Juris dictio, & e-
 mens ejusmodi rem, venditorem ad Evictionem sibi non obli-
 gat, *Menoch. lib. 2. arbitr. Jud. cas. 488.* Aliquando tamen eadem
 rectè vendi possunt, si res minoris sunt pretij, veluti mancipia
 publica, prædia publica &c. & majus exinde Reipublicæ pro-
 maneant commodum, & singuli civiū, vel etiā eorū potior pars
 cū expressione nominis consenserint, *per l. fin. C. de vend. reb. ci-
 vitat.* (b) *pr. Inst. quib. alienar. lic. l. 1. §. & cum 15. C. de rei uxor.
 action. l. Lex Julia. 4. ff. de fund. dotal. l. cum vir. 42. ff. de usurpat.
 & usucap.* (c) *tot. tit. C. de litig. l. fin. C. de hered. & act. vend. l. 1. ff.
 de litig. l. 1. §. fin. ff. que res pignor. vel hypoth. date.* Imo, quod
 si quis sciens litigiosam rem emerit, emtor una cum re amittit
 pretium, quod in fiscum transferendum, & Venditor parem in-
 super quantitatem in pœnam fisco inferre tenetur *l. fin. C. de li-*

C tig.



rig. Si quis verò inscius rem emerit litigiosam, Emtio quidem annihilatur, pretium tamen cum alia tertia parte Emtor recipit, *d. l. fin. C. eod.* Quæ a. res dicatur litigiosa, Ictus Irnerius in *auth. Litigiosa C. eod.* exponit. (d) *l. fin. emtione. 34. §. item. 3. ff. de contrab. emt.* Hic tamen sciens Emtor ab ignorante discernendus. Nam si quis inscius rem furtivam emerit, tenetur quidem eam restituere, aut si consumpta est, pretium refundere, *l. incivile. 2. C. de furt.* Venditorē tamē sibi obligatū habet. *d. l. 34. §. 3. ff. de contrab. emt. Mozz. de contract. Rubr. de Emissione & Vendit. tit. de Rebus quæ emi & vendi possunt. n. 31. Schn. ad §. fin. Inst. h. t. n. 3. Menoch. de Recup. possess. Remed. 16. num. 32.* Si verò sciens rem furtivam emerit, furti tenetur. *arg. d. l. 2. C. de furt. & hodierna ex observantia pœnæ fustigationis vel relegationis subieitur, teste Berlich. Concl. 44. part. 5. n. 4. & seq. (e)* Bona minorum alienari non posse patet ex *l. 1. ff. de reb. eor. qui sub tutel. vel cura, tot. tit. C. de prad. & aliis reb. minor.* De furiosorum bonis idem Juris est, per *l. Marcellus. 25. ff. de fidejussor. & mandat.* His comparantur prodigi, *l. orationi. 2. C. de curat. furios. vel prodig. Mozz. de Emt. & Vend. tit. de Rebus quæ emi & vendi possunt n. 42. Treut. vol. 1. Diss. 28. th. 5. lit. (e)* Quandoquē tamen, si ingens suadeat necessitas, bona eorum cum decreto Judicis, prævia causæ cognitione, vendi possunt, per *l. minorum. 6. & tot. tit. C. de prad. & aliis reb. minor. Mozz. d. l.* Quæ verò ad causæ cognitionem pertineant, eruditè persequitur *Menoch. de Arbitr. Judic. lib. 2. Cas. 172. (f)* De Jure Civili licet cuivis bona avita vendere quandocunq; velit, *l. dudum. 14. C. de contrab. emt.* De Jure Saxonico non datur eadem facultas. Cum enim Jus Retractus (quod *wegkühnens* dicitur) Reipublicæ videretur proficuum, ac Jure divino comprobatum *Lev. 25.* Saxonici deprehenderent Juris authores, illud in usum revocare non dubitarent. *Sandr. lib. 1. art. 8. & 2. libr. 3. art. 83. Treut. vol. 1. Diss. 28. th. 5. lit. E.* Quod Electori Augusto etiam placuit, *part. 2. const. 31.* ubi tamen solis ascendentibus & descendentibus, iisque gradu proximioribus, collateralibus non æquè, Jus retractus concedit. *Vid. Berlich. part. 2. Concl. 39. Schutz. in Syn. Inst. de donat. lit.*

lit. (b) & rit. quib. alienar. lic. vel non lit. (a) (g) Prædia feudalìa, quamvis alienari possint, absq; domini tamen consensu vasallo ea vendere non potest, per Constitutionem Friderici II. Imperatoris, tit. 55. lib. 2. F. nisi ingenseum urgeat necessitas, quæ cū periculo vitæ ejus suorumq; conjuncta est, arg. l. ult. C. de parib. qui fil. distrax. idq; observantia comprobatum esse testatur Myns. 6. obs. 30. (h) Per l. fin. C. de Jur. Emphit. Sichard. ibid. Moller. Semestr. lib. 3. c. 45. n. 3. Carpz. in Jurisp. F. R. S. part. 2. const. 28. def. 18.

THESES. XIII.

Hucusquè de materia circa quam, Rebus scilicet, sequitur de Materia in qua, nempe de Personis, quarum alia ad Emptionem Venditionem sunt idoneæ, alia minus idoneæ. Sed cum contrariorum uno cognito, cognoscatur & alterum (a) videamus solummodo eos, qui contrahere Emptionem-Venditionem nequeunt. Arcentur a. ab Emptione-Venditione, alij Natura, ut infans & furiosus (b). Alij Lege, idquè vel ob ingenij imbecillitatem, ut pupillus, minor, (c) vel ob corruptos mores (d) ut prodigus.

(a) pr. Inst. de his qui sui vel alien. jur. Ever. in Top. Loc. à contrar. n. 1. (b) l. obligationes. 1. §. furiosum. 12. ff. de O. & A. l. 2. C. de contrab. emt. §. sed & 4. Inst. de Curator. l. in negotiis. §. l. furioso. 40. ff. de R. J. Ratio est, quia furiosus nullum animi judicium habet, atq; ideo nihil quicquam agere aut velle potest l. 47. ff. de acquir. vel amitt. hered. Phil. Matth. ad l. 5. ff. de R. J. n. 3. Parilis ratio militat in infante, l. pupillus. 9. ff. de acquir. vel amitt. hered. l. quod infans. 60. ff. de rei vindic. Bronch. ad d. l. 5. ff. de R. J. §. sed quod 10. Inst. de inutil. Stipulat. (c) Pupillum absq; tutoris auctoritate nequè vendere, neq; emere posse constat ex pr. Inst. de auctor. tutor. l. pupillus. §. 1. ff. de auctor. tutor. nisi eò conditio ejus melioretur d. l. 5. in pr. & §. 1. ff. eod. l. 13. §. 1. l. 41. ff. de condit. indeb. Eadem sorte fruitur minor per l. si curatorem. 3. C. de in integr. restitut. minor. Sichard. ibid. Gædd. ad l. 21. ff. de V. S. n. 6. (d) Prodigus, cui per sententiam judicis bonis interdictum est,

C 2

eme-

emere vel vendere nequit, pr. l. Julianus. 10. ff. de curat. furios. l. is cui bonis. 6. ff. de V. O. l. furiosi. 40. ff. de R. Jur.

THES. XIV.

Materiam excipit Effectus, qui vel Internus; vel Externus. Internum Effectum Emtio-Venditio triplicem producit: I. quod periculum & commodum rei venditæ, licet ea emtori nondum tradita sit, ad Emtozem pertineat, statim atquè de pretio contrahentes convenerint, (a) II. Quod perfecta Emtione non sit locus (b) pœnitentiæ, sed uterquè obligetur ad implendum contractum, h. e. Emtoz ad exhibendum pretium, & Venditoz ad tradendam rem (c) III. Quod Venditoz obligetur ad præstandam Emtozi Evictionem (d).

(a) §. cum autem. 3. Inst. de Emt. & Vend. l. necessariò. 8. ff. de peric. & commod. rei vend. quod & Juri Naturali consonum est, secundum quod incommoda cujusq; rei sequuntur eam, quem sequuntur commoda l. 10. ff. de R. J. Igitur cum commoda & accessiones rei venditæ ad Emtozem transeant, quod patet exemplo thesauri inventi in domo vendita, qui Emtozi cedit, l. à tutore. 67. ff. de rei vindic. incommoda quoq; ad eum pertineant. Quod si v. culpa, mora, vel fraude venditozis res interiit, periculum ad venditozem spectat, d. §. cum autem. 3. f. b. t. Plures hujus regulæ Exceptiones tradit Schneid. ad c. §. 3. Inst. b. t. n. 3. & seqq. Myns. cont. 6. obs. 36. Petr. Gregor. in Syntag. f. II. lib. 25. cap. 18. n. 8. Quomodo a. Venditoz in mora esse dicatur exponitur in l. ratio. 3. §. ult. vers. mora ff. de action. emt. & vend. Interea Venditoz ante traditionem ad curam atquè custodiam rei venditæ bono patri familias convenientem, obstrictus est, l. hoc ita. 2. §. custodiam. 1. l. custodiam. 3. ff. de peric. & commod. rei vend. l. quod sæpè. 35. §. si res. 4. ff. de contrab. Emt. l. venditor. 36. ff. de action. Emt. & vend. non tamen tenetur de casu fortuito, d. §. cum autem. 3. f. b. t. nequè de eo, quod servorum negligentia commissum est, l. si vendita. 11. ff. de peric. & comm. red. vend. d. §. 3. Inst. b. t. nisi paco fortuitum casum in se susceperit. l. si ut certo. 5.

39
10. §. 2. ff. commod. l. qua fortuitis. 6. C. de pignorat. action. (b)
l. ratas. 7. C. de rescind. vend. l. res bona. 54. ff. de contrah. emt. We-
senb. in Parat. ibid. (c) Perfecta Emtione Emtor pretium Ven-
ditoris facere debet, l. ex emto. 11. §. 2. ff. de action. emt. & vend.
pr. l. 1. ff. de rer. permut. Venditor è contra Emtori rem præstet,
d. l. 11. §. 2. ff. de act. emt. & vend. Wesenbec. in Parat. ff. de contrah.
emt. n. 12. Non equidem Rem Emtoris facere tenetur, l. si ita.
25. §. qui vendit. 1. ff. de contrah. Emt. quemadmodum Emtor
pretium Venditoris facere necessum habet, d. l. ex emto. 11. §. 2.
ff. de action. emt. & vend. sed sufficit si dominium tale, quale i-
pse habet, in Emtorem transfert, & Eviictionis nomine eidem se
obstringit d. l. 11. §. 2. ff. eod. Rationem Dd. hanc tradunt; ne
propter incertitudinem & difficultatem probationis dominio-
rum impediatur hic contractus usibus quotidianis maximè ne-
cessarius. Wesenbec. in Parat. de contrah. Emt. n. 12. Petrus Gre-
gor. in Syntag. Jur. Uln. lib. 25. cap. 18. n. 4. Atquè ex eo Emtoris
differt conditio à Venditoris; rationem differentia Arumæus
in eo collocat, quia pretii aliàs nullus foret usus, si Emtor id
non faceret Venditoris; at rei etiam usus est, licet accipientis
non fiat, cum commodari, locari possit, eaq; de causa traditio
sufficit. Fundamentum hujus responsionis ponit in §. constitu-
itur. 2. Inst. de usufr. Arum. Exer. 14. th. 4. ubi & Mozz. sententi-
am infringit. Præterea tanta Venditori incumbit necessitas tra-
dendi rem, ut non liberetur si interesse solvere velit, d. l. ex emto.
11. §. 2. l. servus. 30. ff. de action. Emt. Treut. vol. 1. Disp. 28. th. 2. lit.
(b) Sichard. ad rubr. C. de contrah. emt. n. 8. Schulz. in Syn. Inst.
b. tit. lit. (d) Excellentiss. Dn. D. Coselim, in Enodatione l. 23. ff. de
R. 7. (e) l. ex emto. 11. §. 2. ff. de action. emt. l. in vendendo. 66. in
pr. ff. de contr. emtion. etiamsi de ea contrahentes non egerint,
l. non dubitatur. 6. C. de Eviict. Petrus Gregorius in Syntag. Jur. Uln.
lib. 25. cap. 22. n. 2. Wesenbec. consil. 12. n. 39. & Consil 331. n. 197. Te-
netur a. Venditor Eviictionis nomine de Jure Civili usq; ad an-
nos triginta, per l. si obligatus. 19. l. emti actio 21. C. de Eviict. juncto
eod. tit. C. de prescript. trigint. vel quadrag. ann. Hodierna obser-
vantia discrimen facit inter bona mobilia & immobilia, de il-

lis venditor tenetur uno anno & die; de his verò usq; ad triginta & unum annum cum sex septimanis & tribus diebus: *Vid. Schulz. in Syn. Inst. hic. lit. (c).*

THESES. XV.

Effectui Interno Emtionis-Venditionis, Externus subnectundus est, qui consistit in Actionibus. Actiones ex Emtione-Venditione duæ prodeunt, quæ Civiles (a) sunt, bonæ fidei, (b) transitoria, (c) & directæ (d): prior dicitur actio ex Emto, (e) & datur Emtori; altera Venditori conceditur (f) & vocatur Actio ex vendito.

(a) *per l. proinde. 33. ff. de adilit. edict. (b) l. ex emto. 11. §. 1. ff. de action. Emto. & vend. §. actionum. 28. Inst. de action. (c) Et datur in heredem universalem l. non est. 10. l. Lucius. 47. ff. de action. emto. non verò singularem. Wesenb. in Parat. ff. de action. emto. & vend. n. 2. (d) quia utraq; ab eo, cui competit, nomen sortita est, Vultej. in Jurisprud. Rom. cap. 9. n. 2. & quia utriusq; contrahentium par ratio iisdem habetur, Wesenb. in Parat. ff. de action. emto. & vend. n. 2. aliquando tamen utiles evadunt, quando iisdem agitur ad Emtionem-Venditionem rescindendam, l. ex emto. 11. §. si quis virginem. 5. & seq. ff. de action. emto. & vendit. Wesenb. d. l. (e) Hæc actio datur Emtori qui pretium solvit, l. Julianus. 13. §. obferri. 8. ff. de action. emto. & vend. contra Venditorem, ad consequendam rem venditam, l. ex emto. 11. §. 2. ff. b. t. l. 1. C. eod. cum vacua ejus possessione, l. si in emtione. 2. §. 1. ff. d. tit. de action. emto. & vend. l. si pater. 8. C. eod. & rei accessionibus, l. post perfectam. C. d. tit. (f) Quæ datur Venditori contra Emtoem ad consequendum pretium, cum ejusdem usuris, l. Julianus. 13. §. ex vendito. 19. & seq. ff. de action. emto. & vend. Nec interest, sive quis proprio, sive alieno nomine emerit, ac potest Venditor nihilominus procuratorem ac si proprio nomine emisset, ad solutionem compellere, *per l. cum vendente. 4. C. ubi caus. fiscal. Fulv. Pacian. de Probat. vol. 1. cap. 26. n. 26.**

THESES. XVI.

Restat, ut de accessorio Emtionis-Venditionis, arrha, quædam subjungamus. Dicitur autem Arrha Emtionis ac-

40
nis accidens, quia absque ea recte contrahi potest (a) quæ
si data, priusquam Emtio-Venditio perfecta est, facultatem
recedendi à contractu cum amissione ejusdem, non in-
fringit; secus si perfecto contractui superaddita est, & tunc
ab eodem ne quidem cum jactura arrhæ resilire licet (b).

(a) *pr. l. quod sepe. 35. ff. de contrab. emt. & dari arrha solet, vel in
præsenti pecunia, ut patet ex l. ex emto. 11. §. is. qui. 6. ff. de acti-
on. emt. & vend. vel in alia quavis materia prout videre est in d. l.
11. §. 6. ff. de action. emt. & vend. l. cuiusmodi. 5. §. 15. ff. de institor. a-
ction. Priori modo arrha in partem pretij cedit, l. de Lege. 6. l.
mulier. 8. ff. de Lege commiss. Posteriori modo in argumentum
solummodo & probationem Emtionis datur, d. l. quod sepe 35.
ff. contrab. emt. Vid. Schneid. ad pr. Inst. de Emt. & Vend. n. 13.
& consumta Emtione-Venditione repeti potest, adferente
Cujac. lib. 9. obs. 17. (b) Quæstio hæc satis agitata est, & varia hic
Dd. audiuntur sententiæ: Alij existimant, licere Emtori vel vè-
ditori pro lubitu à contractu resilire, sive contractus
Emtionis-Venditionis perfectus sit, sive imperfectus, modo
Emtor arrham amittat; Venditor è contra arrham duplicatam,
per *pr. Inst. de Emt. & vend. l. 17. circa fin. C. de fid. instrum. Treut.
vol. 1. Disp. 28. th. 8. lit. (b)* Aliam decisionem suppeditat Schneid.
ad pr. Inst. h. t. n. 13. quam nolumus transcribere. Applausum
videtur præ cæteris mereri sententia eorum, qui existimant, à
contractu Emtionis-Venditionis perfecto data arrha recedere
neutri contrahentium licere alteri invito, ne quidem cum ja-
ctura arrhæ, per *l. de contractu. 3. C. de rescind. vend. à contractu
v. Emtionis-Venditionis adhuc dum imperfecto, cum dispen-
dio arrhæ recedere quem posse. Atque de contractu imperfe-
cto intelligendum esse pr. Inst. de contrab. emt. & d. l. 17. ff. de fid.
instrum. quod prolixè probant, Wesenbec. in Parat. hic. n. 9. Mozz.
de Emt. & Vend. tit. de Accidentalibus Emtionis, n. 9. & seqq. Hoe-
non. Disp. ad Inst. 16. th. 5. Arum. Disp. ad Dig. 13. th. 3.**

THES. XVII.

Hucusquæ de Constitutione Emtionis-Venditio-
nis, sequitur ejusdem Solutio. Dissolvitur autem Emtio
& Ven-

156.
& Venditio modis multis (a). Nos in duobus potioribus
hic acquiescemus. Primus modus est contrarius consen-
sensus (b) Alter, est læsio enormis, dimidium justii pretij
transgressa (c).

(a) De his vide *Mozz. de Emt. & Vendit. tit. quibus casibus annu-
letur Emtio & Venditio. Sichard. ad rubr. C. de rescind. vend. n. 2.
& seqq.* (b) Quemadmodum solo consensu Emtio - Venditio
perficitur, *pr. Inst. de Emtion. & Vend.* ita mutuo dissensu con-
trahentium dissolvi potest, *tot. tit. C. quand. lic. ab emt. disced.
l. nihil. 35. ff. de R. J.* (c) Fit quoq; solutio Emtionis - Venditio-
nis altero invito, puta, si venditor ignorans majoris pretij rem,
vili vendiderit, atque ultra dimidiũ læsus sit, tunc Emtio Vendi-
tio interveniente Judicis autoritate rescindi potest, nisi Emtor,
quod justo deest pretio refundere præoptet, *l. rem majoris. 2. C. de
rescind. vend. & Contractus ille Judicis autoritate fuerit confir-
matus, Sichard. ad d. l. 2. C. n. 5. Carpz. Jurisp. Rom. Sax. part. 2.
const. 34. def. 4.* Atque beneficium hoc rectè Emtor sibi quoq;
vendicat, quippe Venditor beneficium hoc sortitur non qua
Venditor, sed qua læsus, eademq; in Emtore militat ratio ex
natura correlativorum. *Donell. ad b. l. Sichard. ad eand. n. 4.
Schulz. in Syn. Inst. tit. de Emt. & Vend. lit. C. Pari ratione Juris
hujus l. 2. beneficium ad quosvis contractus bonæ fidei exten-
dant, Sichard. ad hanc l. 2. C. n. 4. Carpz. Jurisp. Rom. Sax. part.
2. Const. 34. def. 1. Hackelm. Diss. II. Illust. Quest. tb. 10.
Schulz. d. l. lit. (c).*

TANTUM!

Wittenberg, Diss., 1650-51(1)


Vd 17

ULB Halle 3
002 673 339



56.







DISPUTATIO JURIDICA

21 Dec 1650

29

EMPTIONE ET VENDITIONE.

Quam

*Adspirante divino Favonio
Indultu*

*Magnifici Ordinis Jctorum
In illustri Leucorea*

PRÆSIDE


Viro Amplissimo atq; Consultissimo

DN. MICHAELE LEDERE-
RO, J. U. D. Facultatis Juridicæ Assessore & p. t. De-
cano spectatissimo, ut & Electoralis Advocato Ordinario,
Præceptore atq; Promotore suo, optimo,
maximo.

*Placida disquisitioni
subjicit*

GEORGIUS BURCHARDI, Witteberg.

*Ad diem Februarij, In Auditorio Jctor.
Horis consuetis.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS HAKEN, 1650.

387.

